



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniae, 1622**

Apud alios. 282

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44900**

cipum filia , & soror ; Austri-  
 rum vxor , & parens. In idem  
 certamen pro I G N A T I O ve-  
 nêre clarissima regna Castellæ,  
 & Aragoniæ : in idem Cata-  
 launi & Cantabri consensêre :  
 Nihilo minoribus studijs To-  
 letanus, Hispalensis, Granaten-  
 sis amplissimi antistites exarse-  
 runt ; & secundum hos qui Cæ-  
 saraugustæ quique Barcinone  
 Rempub. rexêre : non utique tam  
 acriter postulaturi, nisi I G N A T I I  
 sanctitatem pro comperto ha-  
 buissent.

282 Magnum præterea eo-  
 rum agmen sequitur , qui ec-  
 cli genere cum prioribus non  
 sunt conferendi ; eximij ta-  
 men nominis , aut sanctitatis,  
 non omiserunt quid sui iudi-  
 cij esset , ostendere . Nam  
 Ioannes Auila , Pontificius Ec-  
 clesiastes , ( vir omnino talis ,  
 cuius

cuius vitam Ludouicus Granatensis conscribendam sibi duceret, ) ita cum IGNATIO se contendebat; vt, ( pro eo quàm erat modestus, ) sibi ceu pumilioni in IGNATIVM gigantem diceret suspiciendum. Ipse autem Granatensis, testis quantavis rei idoneus, obstupescere se fatetur, quoties in hoc virtutum prudentiæq; speculum intueatur, quod DEVS, cum incredibili mortaliu bono, huic orbi temporiq; obiecerit. Iam nobiles scriptores Laurentius Surius in Germania; iam Ioannes Molanus in Belgica; & è Gallis Genebrardus, & inter Anglos Sanderus, mirum est quàm honorificè de IGNATIO scribant! Certè beatissimum alij virum; & ducem ad Lutheri aciē profligandam creatum; alij hominem diuinum appellant; & denique eum, qui consilij sui

aucto-

auctorem impulsoremq; Deum habuerit. Nec tacuit eundem Italia: quippe, quem laudatissimis Thomæ Bozj, Pauli Morgi, Mambrini Rosæ testimoniis ornauit. De quo eodem, quid Hispania sentiret, Consalus Iglefus, Alphonsus Villega, Stephanus Garibaus, historici aperuere. Lusitania denique laudatorem dedit Iacobum Pacuam: quem & Tridentino concilio Theologum miserat. Nam hic I G N A T I V M variè, nunc sanctitatis exemplum vocat, nunc virum illustrem, admirabilem, orbique huic nostro singulari beneficio concessum, exclamat. Sed nimirum longiorem à me Catalogum hic nemo, opinor, exiget, qui meminerit non librum me, sed compendium promississe.

283 Hanc publicam eius famam non mediocriter auxerunt hæretici,